Literæ Gregorij XIIIJ. Rom. Pōt. ad instantian Philippi II. Hispaniarum Regis, & Fratrum Disceatorum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli, in forma Breuis, sub annulo Piscatoris, anno Domini. M.D. XCI. expeditæ.

Gregorius. PP. XIIIJ.



AD PERPETVAM REI MEMORIAM. Quoniam non ignoramus quantum in monasterijs piè institutis, & rectè administratis in ecclesia Dei, splēdoris, atque vtilitatis oriatur in ijs, quæ ad augēdā, & conseruandam disciplinam Regularem conducere noscuntur, libentèr officij nostri partes interponimus, aliaq; desuper disponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Dudum siquidē fœlicis recordationis Sixtus PP. V. prædecessor noster per suas in simili forma Breuis sub datis, videlicet die X. Iulij, anni Domini M. D. Lxxxvij. Pontificatus sui anno tertio, cōfectas literas, inter alia, quæ cōcessit Ordini fratrū Carmelitarum, Excalceatorū nuncupatorum, Regnorum Hispaniarum ad instantiam Charissimi in Christo, filij nostri (tunc sui) Philippi Hispaniarū Regis Catholici, id vnum est: Quod attento magno dicti Ordinis fratrū numero, ijdem fratres in plures Prouincias diuiderentur, suosq; Vicarium generalem, & Diffinitores Cōsiliarios haberēt, per quos támfratres, quàm Moniales gubernarētur, prout in literis dicti prædecessoris desuper cōfectis plenius cōtinetur. Cum autē (sicut idem Philippus Rex, exponi nobis nuper fecit) ad maiorem totius Regularis disciplinæ, & vitæ, quā ijdem fratres profitentur obseruantiā, & fœliciorē huius Ordinis progressum maximè expediat, vt Prouinciales nō reeligantur in Prouinciales eiusdem Prouinciæ, quam primò regebant, neq; alterius, neq; in Consiliarios Diffinitores: & quod aliæ eiusdem prædecessoris literæ, cum certo regimine, & Constitutionib⁹ Monialium dicti Ordinis, sub datis videlicet, diè V. Iunij, anni Dñi. M.D.CX. Pontificatus sui anno sexto, quoad infra scripta dumtaxat reformentur. Nos singulatum literarum prædictarum tenores (ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso insererentur præsentibus) pro expressis, ac totaliter insertis habētes, ac omnes, & singulas lites, causas, & differentias (si quæ desuper ortæ sint, & pendeant indecisè) ad nos harum serie aduocantes, illasq; penitùs extinguentes, ac perpetuum silētium desuper imponentes, supplicationibus dicti Philippi Regis hac in parte inclinati, harum serie perpetuò statuimus, & ordinamus: Quod Prouinciales in Capitulo generali actualiter non reeligantur in Prouinciales illius, quàm primò regebant, nec cuiusuis alterius dictæ Cōgregationis Prouinciæ, nec etiam in Diffinitores: extrà verò dictum Capitulum reeligi possint. Præterea quòd ipsi Prouinciales (durante sui Prouincialatus officij tempore) Fatres, & Moniales, seu Sorores suæ Prouinciæ in spiritualibus, & temporalibus regant, & gubernēt, ac corrigere, castigare, & punire valeāt, processu desuper formato, vel nō formato, prout eis iustum, & æquum videbitur; omnes, & quascumq; culpas, præter illā, quæ grauissima in Cōstitutione fratrum prædictorum nuncupatur, quam hac in parte ad Moniales, & Sorores prædicti Ordinis extendimus, ac locum habere volumus, & decernimus, omnibus Cōstitutionibus dictarum Monialium huic parti contrarijs, penitus sublatis, & abrogatis. Hæc autem, & omnia alia negotia Congregationis eiusdem, iuxtà formam Cōstitutionum suarum terminanda formato processu, Vicario generali, & Diffinitoribus protēpore cum voto decisiuo omnium. l. maioris partis eorum remittantur, prout in alijs eiusdem Cōgregationis negotijs authoritate Apostolica declaratum extitit. Quodq; Prior in suo Monasterio, eisdē modo, & forma, vsq; ad culpam grauem (inclusiuè) cognoscat. Monialesq;, & earū Monasteria (non per aliquem generalem Comissarium, quod officium penitus extinguimus) per Prouinciales suos gubernentur, & visitentur, iuxtà vnius cuiusq; Prouincialat⁹ districtū. Item, quod Priorissæ in eisdem Cōuentibus, vbi antea fuerunt, non nisi peracto triennio reeligātur in Priorissas. l. Suppriorissas, quemadmodùm in fratrib⁹ Priorib⁹ cōstitutū est. Ac quod Moniales in vnoquoq; Mo-

A naste-

nasterio nullomodo numerũ viginti vni⁹ excedere valeat. Quodq; officiũ Romanũ iussu fœl. record. Pij Papæ. V. prædecessoris nostri reformatũ, & æditũ, l, illud, quod fratres prædicti pro tẽpore recitauerint, Moniales ipsæ recitare teneãtur. Et insuper quod Prouinciales ipsi Monialibus, siue Sororibus prædictis de Cõfessoribus ordinarijs iuxta præscriptũ Sacri Tridẽtini Cõcilij ad earũ cõfessiones audiendas, abũdãter prouideãt, facultate Priorissis ipsis aliâs cõcessa penit⁹ sublata. Et dũ in capitulo secũdo Regularum, & Cõstitutionũ Monialiũ supradictarũ inter alia declaratur, Religiosas quæ aliquod Monasteriũ fundassent, illius Monasterij fore Cõuẽtuales, & perinde ex eo nõ posse dimitti, nec ad primũ Monasterium redire, nisi ex valdè vrgẽti causa, Superiorum arbitrio aliter expedire visum fuerit, & tunc de speciali licentia, vel priuilegio sanctæ Sedis Apostolicæ, aut nisi in transitu à primo, aliud à Sede Apostolica fuerit prouisum, nec non in Monasterijs, quæ cũ redditibus fundarentur, & quod redditus sufficientes habuissent pro prædicto numero alendo, non vltra quatuordecim Moniales degere, aut recipi possent, donec de amplioribus redditibus fuerit prouisum, nisi forte aliqua ad habitum reciperetur, quæ facultates ad maiorẽ numerum sustentandum afferret: nec Priorissa contrariũ facere possit, sub pœna priuationis officij & nullitatis receptionis earundem. Nec non in capitulo septimo caueatur, quod nihil omninò proprij Moniales possideant. Postremò in capitulo vigesimo secũdo declaretur Regulas, seu Constitutiones prædictas, ac Superiorum pręcepta, & mãdata, vel alicui ipsarũ per eos pro tempore facienda, ad pænã peccati mortalis non obligare, nisi cõtra ipsarum Constitutionum præceptũ aliquid per contẽptũ cõmittatur, aut nisi per Prælatũ quidpiam præcipiatur in scriptis, in virtute Spirit⁹ sancti, & sanctæ obediẽtiæ. Nos pluribus in cõmodis, quæ inde sequi, & oriri possent, prouidere, & obuiare cupiẽtes, volum⁹, mãdamus, & ordinam⁹ quoad primũ caput, quod pro fundandis, & instituendis de nouo dicti Ordinis, & Congregationis Conuentibus, siue Monasterijs, Moniales, seu Sorores huiusmodi (de licentia tamen speciali, & expressa pro tempore Vicarij generalis, & Diffinitorum) ex suis Monasterijs, domibus, siue Conuentibus extrahi, & transferri, & post fundationem, & institutionem, ad sua pristina Monasteria, in quibus antea degebant, redire possint, & vbi dicto Vicario generali, & Diffinitoribus expedire videatur, remitti debeant. Quo verò ad secundũ, quod Priorissa vltra numerũ quatuordecim Monialiũ aliquã nõ recipiat, nec recipere possit, donec de amplioribus redditib⁹ ad maiorem numerũ alendum abũde prouisum fuerit, sub pœna priuationis officij dumtaxat, non autem nullitatis receptionis earũdem, quam receptionem imò valere volumus. Ad tertium autem, quod Moniales scilicet, seu Sorores prædictæ nihil omninò proprij, nec etiam ad vsum, sine licentia Priorissæ possideant. Et quoad vltimum, quod Regulæ, seu Constitutiones huiusmodi, seu Superiorum præcepta, & mandata non obligent nedũ ad mortale (prout supra dicitur) sed neq; etiã adueniale peccatũ, nisi in casibus ibidẽ expressis, præfatas Cõstitutiones declarãtes, & moderãtes, statuim⁹, & ordinamus, districtius inhibẽtes quibusuis Iudicib⁹, & Cõmissarijs cuiusq; status, gradus, qualitatis, & dignitatis existãt, tàm dictæ Cõgregationis, quàm alterius Ordinis, & Regulæ, etiã authoritate Apostolica, ac etiam in Capitulo generali electis, nè in posterũ prædictas Moniales, seu sorores regere, gubernare, l, earum curã gerere, aut in earũ negotijs, & gubernio sese quoquò modo, aut quouis prætextu, causa, seu occasione ingerere, intromittere. l. quæcunq; negotia dictæ Congregationis quomodolibet, & quauis authoritate, etiã Apostolica, tàm generaliter, quàm particulariter audire, cognoscere, decidère, aut terminare audeant, vel præsumant: Sed illas, & illa Capitulo, aut Vicario, generalibus, & Diffinitoribus Consiliarijs remittant, & remittere debeant, quibus Capitulo, Vicario, & Diffinitoribus, Prouintiales, & cæteri fratres, & Moniales, seu Sorores prædictæ Congregationis, ac cætera huiusmodi negotia omninò, & penitus subiaceant. Et quoad reliqua singulæ prædictæ literæ prædecessoris nostri, in suo robore permaneant, & (quaten⁹ præsentibus non sint contrariæ) illas confirmamus, & illis perpetuæ firmitatis robur adijcimus, ab omnibusq; ad quos spectant, obseruari mandamus. Decernentes, quod tàm dicta electio Commissarij generalis (siquæ facta est) quàm gesta per eum, seu eos, nullius esse roboris, vel momenti, sicq; per quoscunq; iudices, & Commissarios quauis authoritate fungentes, etiam Sacri Palatij Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicãdi, & interpræetandi facultate, & authoritate, vbiq; iudicari, & diffiniri debere: nec non irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac alijs Cõstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec nõ dicti Ordinis, iuramento, confirmatione Apostolica. l. quauis firmitate alia roboratis, statutis, & cõsuetudinibus, priuilegijs quoq;, indultis, & li-

& literis Apostolicis in cōtrarium quomodolibet cōcessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores, &c. (illis aliâs in suo robore permansuris) hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrarijs quibuscunq;. Volumus quoq; vt præsentes literæ imprimi possint, isq; impressis, aut aliâs transcripris, & manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si originaliter exhiberentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxv. Aprilis. M. D. XCI. Pontificatus nostri. Anno primo.

M. Vestrius Barbianus.